

Georg Radow

**Programma in ipsa Messiae ac Sospitatoris Nostri Jesu Christi, Solennitate
Natalitia ab Universitatis Rostochiensis Rectore Georgio Radovio, I.U.D. ac
Profess. ipso XXV. Decembr. die P.P. sub sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735995729>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

in ipsâ

MESSIÆ ac SOSPITATORIS

Nostri

JESU CHRIS-
TI,

Solennitate

Natalitiâ[^]

ab

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTORE

GEORGIO RA-
DOVIO,

J. U. D. ac Profefs.

ipso XXV. Decembr. die

P. P. sub sigillo Rectoratus,

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. Anno 1670.

4
125.



251

R Ecurrit, per divinam gratiã, XXV. hodiè Mensis Decembris dies, in quẽ ipsum, à benè jã longo tempore, **MES- SIAE** ac **SOSPITATORIS** nostri rejectari (sveta sunt *Natalitia*). Cetero qui prisco ævo aliter omninò habebat, adscribebaturq; tam eximia solennitas non huic ipsi, sed VI. Januar. diei, quam peculiari quadam venustãq; ratione **TA EPI- PHANIA** vetus Græcorum Ecclesia appellitabat. *Ammianus Marcellinus*, Gentilis scriptor, de *Juliano*: Ut hæc, inquit, interim, celarentur, feriarum die, quam celebrantes **MENSE JANUA- RIO** Christiani **EPIPHANIAM** dictitant, progressus in eorum Ecclesiam, solenniter Namine piato, discessit. *Valens* quoque *Imperator*, Arianus, uti nova inter sese, & Episcopum Docto- remq; *Basilius* M. sarciretur gratia, cum omni satellitio suo in templum, cui *Basilius* præerat, die **EPIPHANIORUM**, h. e. **Nat- alis Dominici**, ingressus, *Gregorio Nazianz.* clarissimè dicitur. Hodiè in alia iri omnia, signariquẽ **ΤΩΝ ΕΠΙΦΑΝΙΩΝ** no- mine videas non ampliùs Natalem Dominicum, sed manifesta- tionem seu apparitionem, quæ nunciã & duce stellã **MAGIS** facta; cujus memoria, satis jam est pridem, quum ipsã hac 6. Januar. luce recoli solenniter, historiaq; explicari publicitùs cepit. Ubi tamen monere habemus, non, nisi de more Lati- norum, id intellectum velle. Enimverò Græcis alia hæret con- suetudo, quos in VI. Januar. Baptismi Dominici conferre juvit memoriam, statim utiq; ex quo Natalitiorum isti diei adime- retur reminiscencia. Hinc adeò etiam factitatum, uti iidem.

Græci

Græci, in honorem commendati nobis, exemplo CONSERVATORIS, Baptismi, aquas certo ritu precibusq; consecrare copse tempore svêrint; quem morem traduces Græcorum, RUSSI quoquè religiosè hodiè observare visuntur. Ceterùm ex tertio quoquè capite mansit huic VI. Januar. diei *Epiphaniarum* appellatio. Creditum namquè antiquitus fuit, eodem illo in *Canâ Galilææ* initium fecisse CHRISTUM signorum, mutavisseq; aquam in vinum, quo utiq; miraculo, uti sacer loquitur textus, Joh. 2. v. 11. *gloriam manifestârit suam*. At enim, quidquid de diebus sit; nobis certè non magnoperè curare hanc litem, nec propterea deserere sedet vadimonium. Scitè eleganterq; è veteribus non nemo: *Quid præcipuè, ait, hoc illo è factum sit die, noverit is, qui fecit. Nos quidem minime dubitare decebit, quicquid illud sit tandem, factum omne pro nobis inq; nostram salutem esse.* Illaudabilis certè *πλυταγμοσύνη* est, temporum, dierum, locorumq; circumstantias curiosiùs perscrutari; ineptæ quoq; laudis cupiditas, profiteri, certò sese scire, quæ nulla humana industria vel assequi, vel indagare valeat. Et quemadmodum id, de certâ dierum determinatione, ab omni ita sese parte habet, ita fixum tamen indubitatumq; fuerit, ΤΩΝ ΕΠΙΦΑΝΙΩΝ ad pellationem omnium convenientissimè abs veteribus isti apparitioni, quæ per *Nativitatem Dominicam*, aut per CHRISTUM *in carne factum conspicuum*, contigerit, ad signatam fuisse. Eusebius lib. 1. hist. ordiri, ait, *scriptionem sese suam ἀπὸ τῆς ἐνοσίχθως ἔσωτῆρος ἡμῶν Ἐπιφανείας, à Conservatoris nostri in carne manifestatione.* Epiphanius hærel. 51. *ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανίων ἐστὶν ἡμέρα τῆς γενήσεως καὶ σωτῆρος.* *Dies Epiphaniarum est dies nativitatis Domini secundum carnem.* Svidas: *Ἐπιφάνεια ἡ ἔσωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐνοσίχθως.* *Epiphania est Conservatoris nostri Jesu Christi incarnatio.* Neq; verò ratio appellationis magnoperè erat uti longè arcesseretur; quùm caussetur a jatq; ipse Apostolus: *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί,* I. Tim. III. 16. nec aliud intel-

intelligat quicquam, quàm adventum DOMINI in carnem.
It. Ἐπιφάνη ἢ ἔ θεῶ χάρις ἢ σωτήρ. Ὁ πᾶσιν ἀνθρώποις; *illuxit DEI gratia, omnibus proficua ac salutaris hominibus.* Tit. II, II. Porro: *Χάριν φανερωθεῖσαν νῦν διὰ τῆς Ἐπιφάνειας ἔ σωτήρ. Ὁ ἡμῶν ἰησοῦ Χριστῷ*, gratiam palam factam nunc per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi, nimio perè laudat celebratq; Apost. II. Tim. I, 10. Hujuscemodi EPIPHANIORUM recurſitat hoc ipſo XXV. Decembr. die (in quem conferri jam ab aliquot retrò ſeculis, uti ſuprà innuebamus, cæperunt) ſanctior diviniorque memoria. Nos vel rectè eidem repetundæ, vel ipſi etiam ſolennitati devotè pièq; agitandæ, impendiò majore jure operabimur, quàm Ducum Auctorumq; ſuorum, *Epicuri, Platonis, aliorumq;* recolere natalitia feriariq; conſvèrint Sectatores. Quidni enim iſtum celebrare diem oporteat, quem cum Majestas nascentis P U E R I, tum beneficia mortalium generi per eundem exhibita, ſanctum volunt eſſe & quàm maximè venerabilem. Quod ad Majestatem attinet, fuit utiq; ea ipſa & ante hunc orbem conditum D E O Patri quàm commendatiſſima; quod ſatis luculentè conjectes ex Joh. XVII, 24. It. I. Pet. I, 20. Sed nec minùs curæ eidem fuiſſe poſt jam orbem terrarum creatum, indè cauſſeris, quòd multis, ante natum MESSIAM hunc ipſum, ſeculis, nſciturum ſacer Spiritus promiſerit, variisque cypis ac figuris tantùm non ante oculos depictum conſtituerit. Ceterùm hæ umbræ ſaltem extitere, quibus diſcuſſis, ipſum potius ſolem orientem ſpiritualibus fidelis animi oculis conſueamur. Splendorem ejus exorientis indicat primùm, cuiuſdam Luciferi inſtar, Antambulò ejus, *Baptiſtes*; qui ſuam quoq; ipſius præſtantiam dignitatemq; nobis commendat eo præcipuè, quòd non ſine miraculo ſit conceptus, in parentis utero jam Spiritu S. plenus, & ab eodem motus, nec ſine miraculo natus; deindè quòd vitam egerit ſuo præcurſu dignam, ſanctimonix plenã; quòd Spiritu & robore prophetico ELIÆ arma,

tus,

tus, neminem mortalium ex omnibus, præter HERUM suum, vel habeat, vel agnoscat majorem. At enim quantæcunque tandem sivè auctoritatis fuerit, sivè gloriæ, tamen si conferatur cum eo, cujus nativitatem, aut, uti veteres ex scripturâ loquebantur, *Ἰησοῦς* suâ ipse semestriantevertit, vix sese dignû profiteretur esse, qui in eundem vel purgamenti vicem obeat, aut infimiceteroqui mancipii munere defungatur. Verbo: minimè isthoc, ait, pollere honore, uti sit vel calceamentorum solvendæ corrigiæ. Sed enim verò solem ipsum jam ortum, monstrat miraculorum divinorum plenissima nativitas, ad quam denunciandam Virgini, futuræ Matri, Angelus mittitur, non sanè è plebe unus, verùm ex potentioribus: Mittitur à DEO ad hominem, humani generis causâ, quam certe gravissimam Deoq; dignissimam fuisse necesse est. Neq; enim rei nauci ac nihili tantæ dignitatis Ministrum abs Cæli terræque conditore admoveri, aut jus, aut fas foret. Modus, quem in conceptione deprehendere est, nil non divinum spirat, adeò uti abs conditu Mundi nil unquam gestum fuerit simile; quando conceptus est à Sp. S. & ex virgine natus; quod natura verè fieri vidit, sed isthac lege vidit atq; omine, uti ordinem ipsa suum, nexumq; caussarum longè superari miraculo, lubens pronaq; profiteretur. Ceterùm quantæ eminentiæ porrò fuerit, nativitatis aut *Ἰησοῦς* tanti P U E R I, salutisq; per eundem toti orbi conciliatæ, præcones non esse ullos mortales, sed ipsos sanctissimorum Angelorum exercitus! Hæc tanta nati MESSIÆ nostri ante Mundi conditum præordinati, post conditum sæpè varièq; promissi, tandem exhibiti majestas impendiò major est atquè excellentior, quàm uti humana eam adsequi vel oratio possit, vel etiam cogitatio. Nequè hic objectari arctior nascentis, aut, quâ externam speciem, pauperior merebitur conditio, tanquam Majestati derogatura. Sanè mundanum carnalemvè totum eum esse oporteat, divinorumq; sensuum

suum nec habere vel hilum, qui ita argutetur. Utiq; enim vel in ipsis præsepîi angustiis qui jacet PUER, omnes Mundi terminos implet ac terminat; regnat idem in cœlo, qui vagit in pannis: clauditur ulnis maternis, cui angusta sunt Regum domicilia: ubiq; præsens omnia audit, omnibus actibus, omnibus cogitationibus miscetur; omnia moderatur; in bellis victoriam, in pace fortunam disponit; atq; inter hæc ipsa, & per hæc ipsa, uti propiùs ad rem loquamur, AUGUSTI imperio Majestatem is addit, qui sine honore inter jumenta projectus cernitur: & Principis adeò Romani purpuram *Infantis Bethlehemiticæ* panni summoperè illustrant. Gaudes novo sanctoq; nomine AUGUSTE; ejusq; gratiam S. P. Q. Romano debere tete credis. Erras, AUGUSTE: dixere te Romani, non fecere *Augustum*; ne te fecisti ipse talem; sed qui te *Augustum* voluit, jussit què, ille verò nec agnoscitur in tuâ Aulâ, nec colitur; & interim tamen (vide bonitatem ignorati tibi Numinis I) quòd orbis pleramq;, certè cultissimam partè sub ditione tuâ continet, quòd nomen tuum Gentes venerantur, quòd institutum abs te imperium, non tam annis, quàm seculis numerabitur, id sanè omne munus est ejus, cujus nomen nec dum nosti, cujus Imperio sic tamen subes, cujus robore totus, quantus quantus es, sustentars. Sed de REGIS ac DN. nostri recens nati Majestate atquè eminentiâ nunc quidem ista sufficiant. Quam quùm sermone humano (quod supra monebamus) exprimere minimè liceat, utamur linguâ ac vore Angelorum, dicamusq; cum iisdem: GLORIA IN EXCELSIS DEO; ET IN TERRIS PAX: ERGA HOMINES BENIVOLENTIA. Quem hymum, mone re utiq; videtur opèræ, secundum plerosquè ex antiquitate, *Originem*, *Cyprianum*, *Hilarium*, alios plures, nec non vulgata m versionem, bimembrem esse. Trimembrem verò secundum reliquos, nostrumq; textum græcum, in quo *Ὁδοξία*; quemadmodum reperisse sese testatur doctissimus *Beza* in omnibus exempla.

emplaribus, nisi unum, idq; antiquissimum, exceperis, in quo fuisse scribit *Ἐδοκίας*, uti omninò esse oporteret, si duo membra statuerentur, versioni vulgatæ responsura. Juxta hanc igitur partitionem (quam etiam juverit particula *καί*, ceu illa hic posita est) cælo opponitur terra, DEO homines. DEO dicitur esse *gloria in Excelsis*, i. e. DEO habitanti in Cœlis altissimis: vel sensus est: DEO haberi ac dici gloriam ab Angelis in Cœlis, & novam nunc illis materiam glorificandi DEUM natam esse. *Et in terris pax* (eximia jam alteri commentationis parti, quæ erat de fructibus ac beneficiis nascentis MESSIÆ, porrigitur occasio) non utiq; temporalis, quam CHRISTUS minimè venit missurus, sed potius gladium; verùm spiritualis, reconciliatio sc. cum DEO, uti est Rom. V, 1. & Eph. II, 14. seq. Hæc ipsa pax aliis obtingere minimè potest, quàm hominibus (quod ipsum etiam bimembri partitioni videri poterat servitutum) ideò dicitur jungiturq; ; *ἐν ἀνθρώποις Ἐδοκίας*. *Eudokía* usurpari siveit eximiè de mutuâ hominum inter se amicitia, tum de caritate in DEUM. Maximè verò de illâ DEI benivolentiâ, quâ ab æterno nos persecutus est Eph. I. 4. 5. & 9. Ceterùm congiungi potest vel cum voce *εἰρήνη*, ut sensus sit: Pacem voveri non proveniente ex hominum meritis, sed ex propensâ DEI in eos voluntate, & gratuitâ benignitate: vel cum voce *ἀνθρώποις*; & tunc *ἀνθρώποις Ἐδοκίας* homines beneplaciti secundum phrasin hebraicam illi fuerint, quos DEUS beneplacito & benivolentiâ suâ persecutus est, nempè *Electi*. Enimverò DEUS *Servator omnium est hominum, maximè verò fidelium*, I. Tim. IV, 10. Quòd si, uti Textus noster Græcus innuit, tria constituerimus membra, tunc tertium nihil fuerit aliud, quàm declaratio secundi, ut isthoc pacto *εἰρήνη & Ἐδοκία* per appositionem congiungantur, sensusq; sit: *pax in terrâ, quæ est DEI bona erga homines voluntas*. Enimverò pax mentis, pax DEI cum hominibus, quæ sola hic intelligi apta nata est, nihil est reverà aliud, quàm bene

beneplacitum DEI in hominibus, qui, cùm antea inimici forent, jam per CHRISTUM, ejusq; sanctissimam *Trinitatem* reconciliati, gratiãq;, undè ceteroquin & suapte culpã, & *Satanae* vasfricæ exciderant, restituti sunt. Qui eã ex re, atquè adeò ex nascente hoc PUERO, non incomparabile ducat capiatquè, imò etiam agnoscat beneficium, cum profectò fas sit vel mysterii hujusce planè rudem esse, vel esse etiam in ingratissimis mortalium. Ceterùm plura vix paginarum passura videtur angustia. Vos, CIVES ACADEMICI, vosq; præcipuè O STUDIOSI JUVENES! agite, atq; ita hæc sacra versate, solennia, uti non natus saltem CHRISTUS, sed VOBIS quoq;, i. e. in salutem atq; incolumitatem vestram datus credatur. Quam non imbiberitis unquam sententiam, nisi pietati, vitæq; sanctimoniam (absq; quã nemo temerè visurus est DOMINUM) impendiò studueritis, jusseritisq; procul abesse, quicquid & ætati, & honori vestro inurere labem, & verò etiam salutem, tam temporariã, quàm cœlesti injectare remoram, imò utramq; potius sufflaminare valeat. Ducat Vos in rectas jugiter vias is, qui sanctissimo suo prævit nobis exemplo: Idem ita mores attemperet vestros, uti pacem habeatis, cum vobismet ipsis, cum DEO, cum Magistratu, cum omnibus hominibus.



emplaribus, nisi unum, idq; antiquissimu
fuisse scribit *Ὀδωνίας*, uti omninò esse oportet
statuerentur, versioni vulgatæ responsura
partitionem (quam etiam iuverit particu
lita est) caelo opponitur terra, DEO homi
esse *gloria in Excelsis*, i. e. DEO habitanti in
sensu est: DEO haberi ac dici gloriam
& novam nunc illis materiam glorificandi.
Et in terris pax (eximia jam alteri comm
erat de fructibus ac beneficiis nascentis
occasio) non utiq; temporalis, quam CH
nit missurus, sed potius gladium; verum sp
tio sc. cum DEO, uti est Rom. V, 1. & Eph
pax aliis obringere minimè potest, quàm
ipsum etiam bimbri partitioni videri
ideò dicitur subjungiturq; ; *ἐν ἀνθρώποις Ὀδωνίας*
ri siveit eximiè de mutuâ hominum inter
caritate in DEUM. Maximè verò de il
quâ ab æterno nos persecutus est Eph. I. 4
jungi potest vel cum voce *εἰρήνη*, ut sensus
non proveniente ex hominum meritis,
in eos voluntate, & gratuitâ benignitate
παις; & tunc *ἀνθρώποις Ὀδωνίας* homines be
phrasia hebraicam illi fuerint, quos DEUS
volentiâ suâ persecutus est, nempè *Electi*
Servator omnium est hominum, maximè vero
to. Quòd si, uti Textus noster Græcus in
mus membra, tunc tertium nihil fuerit ali
secundi, ut isthoc pacto *εἰρήνη* & *Ὀδωνίας* pe
jungantur, sensusq; sit: *pax in terrâ, quæ est*
nes voluntas. Enimverò pax mentis, pax
quæ sola hic intelligi apta nata est, nihil e

is, in quo
membra
ne igitur
a hic po
dicitur
imis: vel
n Caelis,
am esse.
rti, quæ
prigitur
nimè ve
concilia
læc ipsa
(quod
iturum)
usurpa
tùm de
volentiâ,
rùm con
m voveri
ensâ DEI
ce ἀνθρώ
cundum
o & beni
ò DEUS
Tim. IV,
nstitueri
eclaratio
nem con
rga homi
minibus,
ud, quàm
bene

